

Nam cūm dicit , & in via peccatorum non stetit, non significat , & in via peccatorum non substituit, sed, & in via peccatorum non ambulauit. Stare enim in via, hoc loco, nō est quiescere, & non ambulare, sed est ambulando non recedere à via inchoata. Itaque idem est , non abire in consilio impiorum, & nō stare in via peccatorum; vtrumque enim significat illum esse iustum , qui recedit à via, id est, lege, & consiliis peccatorum. Et quoniam lex Domini soluitur non solum malè viuendo , sed etiam malè docendo , iuxta illud Matth. 5. qui soluerit vnum de mādatis istis minimis , & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno cœlorum ; Ideo Propheta adiungit , & in cathedra pestilentiae non sedit; id est, ille est iustus, ac per hoc beatus, qui neque operibus, neque doctrina legem Domini prævaricatur. Sedere enim in cathedra pestilentiae, est esse in confessu hominum pestilentium, siue assidere pestilentibus, & cum eis legem Domini despiceret , quasi nihil conducat ad beatē viuendum , id est, cum gaudio , & lœtitia , sed utilius sit carnis desideria perficere , sensibusque in omnibus indulgere. Vox sedentium in cathedra pestilentiae describitur Malachia 3. illis verbis, Vanus est, qui seruit Deo, & quod emolumenntum , quia custodiuiimus præcepta eius? Quod ad verba attinet, pro voce, beatus, in Hebræo habetur, ascre, quæ vox habet formam numeri multitudinis , & ideò à nonnullis recentioribus vertitur , Beatiudines viri, &c. Sed probabilius est vocem illam esse indeclinabilem , & significare, tum beatum, tum beatitudinem. Nam non solum Septuaginta verterunt μακάρος ἄντε, id est, beatus vir , sed etiam sanctus Hieronymus vertit ex Hebræo, Beatus vir. Pro cathedra pestilentiae, in Hebræo habetur ad literam, cathedra Lezim, id est, derisorum. sed sensus est omnino idem. Nulla enim est pestilentia maior , quam deridere legem Dei , & eos , qui iuste , ac piè viuere student. Ad extremum notat Sanctus Basilius, per id quod dicitur beatus vir, non excludi fœminas à beatitudine , sed includi,

quoniam vir caput est mulieris , & in capite intelliguntur etiam membra.

Sed in lege Domini voluntas eius, & II. in lege eius meditabitur die , ac nocte.

In hoc secundo versiculo describitur iustus per affirmationem , & sunt hic etiam duæ partes, quarum una est ferè alterius repetitio. Rectè autem dicitur is esse iustus, siue beatus , cuius voluntas est in lege Domini. quoniām non requiritur ad iustitiam huius vitæ, vt nulla in re offendamus, cūm scriptum sit Iacob. 3. In multis offendimus omnes: sed satis est, si ita sumus affecti erga legem Domini , vt cupiamus eam omnino perficere , & si forte labimur in aliquod peccatum, vt certè saepè labimur, id sit præter voluntatem bonam , id est, præter charitatem , quam habemus ad Deum, & ad legem eius , non autem contra charitatem , proinde peccatum sit, non crimen, id est, veniale, non lœtale. Idem aliis verbis habetur in alio Psalmo , Lex Dei eius in corde ipsius. Nam & voluntas , siue cor iusti est in lege Dei, & lex Dei est in voluntate, siue corde iusti. Lex est in corde, vt in sede , & cor est in lege, vt in re amata , quæ semper cogitatur , & appetitur. Atque hoc est, quod sequitur, & in lege eius meditabitur die , ac nocte. Id enim est legem esse in voluntate, siue voluntatem in lege, perpetuò mente exerceri in ea cogitanda , & amanda, vt quicquid agendum sit, secundum eam regulam fiat. Itaq; illud, die, ac nocte, non significat, nō posse hominem iustum vacare, vel ad punctum temporis à contemplatione diuinæ legis , sed frequentissimè debere animum ad legis præcepta reuocare, eiusq; memorem semper esse, dum aliquid cogitandum , dicendum , faciendum occurrit, in quo periculum sit, ne iustitia violetur. Porro, nō solum Latina vox meditabitur, sed etiā Græca μελιτουσα, & Hebraica leghe, referri possunt ad exercitium siue cogitationis , siue vocis , siue operis. Psal. 34. Lingua meditabitur iustitiam tuā. & Psal. 36. Os iusti meditabitur iustitiam.

Poeta

תְּהִלָּה

תְּהִלָּה

תְּהִלָּה